sacrificium non perveniret. Cum vero sancti viri intra sanctam ecclesiam ad
loca summa perducuntur, eorum vita quasi in speculo ponitur, ut cuncti
videant bona quae debeant imitari. Unde et adhuc apte subditur:
Et ante frontes pictura palmarum. Quid per palmas nisi praemia victoriae de- — N. Quid per palmas.
signantur? Ipsae dari quippe vincentibus solent. Unde de his quoque qui
in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, etiam victores in patria
gaudebant, scriptum est: Palmae in manibus eorum, et clamabant voce mag- — Ioh.
na dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum et agno. Palmas quip-
pe in manibus habere est victorias in operatione tenuisse. Cui opera-
tionis palma ibi retribuitur, ubi iam sine certamine gaudetur. Unde et hic
non dicitur palmae ante frontes, sed ante frontes pictura palmarum. Ibi enim vic-
toriae palma videbitur, ubi iam sine fine gaudebitur. Nam hic plerumque sanctos — N. Picturam palmar[um]
viros aspicimus mira gerere, virtutes multas facere, leprosos mundare,
demonia eicere, tactu egritudines corporum fugare, prophetiae spiritu
ventura praedicere, cunctaque haec necdum palmae sunt, sed adhuc pictura palma-
rum. Nam haec aliquando dantur et reprobis. Unde et per evangelium veri-
tas dicit: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo — Eug.
prophetavimus, et in tuo nomine eiecimus demonia, et in tuo nomine vir-
tutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia numquam novi vos: disced-
ite a me qui operamini iniquitatem. Summum vero signum electionis est soliditas — N. Signum electioni[s]
caritatis, sicut scriptum est: In hoc scient quia mei discipuli estis, si dilecti- — Ioh.
onem habueritis ad invicem. Haec autem miracula cum electi faciunt, longe — N. Differentia signo[rum]
dissimiliter a reprobis faciunt, quia quod electi ex caritate, hoc reprobi
student agere per elationem. Sed eisdem electis et ipsa mira quae per cari-
tatem faciunt, non iam palmae sunt, sed adhuc pictura palmarum. Quia de
eis foris ostenditur quales apud omnipotentem Dominum intus habeantur. Ibi autem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0295